

05

A

760





DISSERTATIO, CHRISTO
RESURGENTI SACRA.

Hoc est;

DECAS QUÆSTIONUM
THEOLOGICARUM

De

GLORIOSA

DOMINI NOSTRI

JESU CHRISTI RESUR-
RECTIONE.

Quam

Per
DEO Trin-uno docente ac ducente ad pla-
cidam συζητησιν,

In Electorali ad Albim Academia

PRÆSIDE

Reverendo, Clarissimo & Excellentissimo viro

Dn., BALTHASARE MEISNERO

S. S. Theolog. D. & P. P. Præceptore & pro-
motore suo æternùm colendo.

Proponit

M. BARTHOLOMÆUS DAVID

Sanderslebenſis Anhaltinus.

Ad diem April. horis pomeridianis in auditorio Veteri.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS GORMANNI.

Anno cloc XIX.

DESSAU

DESSAU

GLORIOSA

BOHMIAN



off A 50

Dr. BARTHOLD MEISNER

DAVID

DESSAU





בְּחִנּוּרֵי

DISPUTATIO

DE RESURRECTIONE CHRISTI.

PRÆLOQUIUM.



*M*ortuo est Dominum Jesum resurrexisse à mortuis ex semine David secundum Evangelium meum, scribit Gentium Apostolus Paulus ad suum discipulum Timotheum 2. Epist. 2, 8. † Quibus verbis D. Apostolus Timotheum & sic etiam nos adhortari vult, ut resurrectionem Christi, quæ est fulcrum spei, testimonium fidei, nucleus

omnis solatii & caput nostræ salutis in memoriam nobis revocemus. † Quemadmodum enim Israëlita Exod. 12, 25. ex mandato DEI singulis annis solennem memoriam educationis & liberationis ex servitute Ægyptiaca in publicis populi conventibus instituebant & celebrabant; Ita & solenni festivitate memoriam liberationis & educationis ex servitute Diabolica à stans anni diebus recolere atque celebrare convenit. † Rectissime ergò, sepositis jam aliis quæstionibus, nos facturos, certo confidimus, dum secundum admonitionem Apostoli Rom. 12, 11. tempori servimus & cum sancta matre Ecclesia hunc ipsum articulum fidei, qui reliquorum omnium fundamentum est 1. Cor. 15, 14. de gloriosa nimirum filii DEI Domini nostri Jesu Christi resurrectione, ex

A 2

qua



5. qua & postea resurrectio dependet, ad placidam & pacam συζητησιν in aliquot quaestionibus proponamus. Quod t̄ dum facere conamur, DEUM patrem Domini nostri Jesu Christi devoti & supplices rogamus, ut quemadmodum primo die paschatos Novi Testamenti caelesti claritate Apostolorum corda perfudit, sic & nostra corda Spiritus sui sancti illustratione illuminet, ut laeti cum discipulis dicere possimus, vidimus Dominum. Faxit, faxit hoc DEUS trinus benedictus in secula. Sic igitur.

QUAESTIO I.

An CHRISTUS verè resurrexerit?

1. Philosophorum t̄ ἀξίωμα est, ἀπὸ μὲν τῆς ἕξεως ἵπτι τὴν σέρησιον γίνεται μεταβολή, ἀπὸ δὲ τῆς σερήσεως ἵπτι τὴν ἕξιν ἀδωίατον *Aristot.* C. 10. de opp. *Aeschines*, ἀπαξ ἵάνοντο ἔκ ἐσιν ἀνάστασις. Quae (malum) est ista dementia, inquit *Plinius*, iterari mortem vitamque? adstipulantur his noti versiculi *Catulli* ad *Lesb*:

*Soles occidere & redire possunt,
Nobis cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetuò una dormienda.*

2. *Stoicos* t̄ & *Epicureos* Apostolo Paulo de resurrectione mortuorum verba facienti aperte contradixisse & pro ἀπερμολόγω habuisse testantur *Acta Apostolorum* Cap. 17, 18. Quinimò t̄ & *Saduceos* in populo DEI resurrectionem mortuorum negasse elucet ex *Matth.* 22, 23. & *Act.* 23, 8. *Manichæi* t̄ sicut negarunt Christum natum esse de virgine, nec ejus carnem veram fuisse confessi sunt, sed apparentem, sic etiam per hoc & apparentem ejus passionem & nullam resurrectionem fuisse somniarunt. Nec t̄ mirum, cum credere Christum, (& sic nos cum Christo) resurrexisse laus propria Christianorum sit, mortuum quippe & pagani credunt, dicente *August.* lib. 16. contra *Faustum Manichæum* C. 29. Ut t̄ autem firmi & certi de hujus articuli veritate esse possimus, confirmant & stabiliont *I. Vaticinia*, quorum inprimis illustre est *Psalm.* 16, 10. non derelinques animam meam in inferno; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Quo innuitur, non mortuum mansurum

6. *Argumenta
Christum re-
surrexisse pro-
bantia,*

manurum mentium, sed revicturum tertiaque die resurrectu-
rum. Quo nomine etiam tum à Petro Act. 2, v. 27. & 31. tum à
Paulo Act. 13, 35. & 37. maximoperè commendatur. Conf. Ps. 110,
7. Es. 53, 10. Os. 13, 14. II. typi, Adami obdormientis & Evæ è late-
re ejus progredientis Gen. 2, 21. & 22. Samsonis Jud. 16, 3. Davi-
dis 1. Sam. 17, 49. Jonæ Cap. 2. quem Christus ipse ad se refert.
III. Christi prædictiones Joh. 2, 19. Matth. 16, 21. Luc. 18, 31. IV. testimo-
nia tum angelorum Marc. 16. Luc. 24, 5. tum mulierum v. 22. confer.
Matth. 28, 6. Quinimò & custodum, qui licet à Judæorum Pontifi-
cibus ad custodiam sepulchri, ne discipuli furto corpus Christi
auferrent, adhibiti essent, voluit tamen divina sapientia, ut unde
credebant elabi, inde caperentur, & unde lætari ex eo conturba-
rentur. Proinde nolentes volentes primi verissimæ resurrectio-
nis Christi testes evadunt. Et quamvis postea nummis sat multis
corrupti dicerent, somno depressis corpus Christi à discipulis fuis-
se ablatum; meritò tamen deus duntur, cum commentum aliquo
verisimili colorare nesciant. Quippe si dormierunt, qui amabò vi-
derunt quod testificati sunt? Quæ leges dormientes admittunt in
testes? quis testificabitur quod nescit? & qui id Apostoli, qui ne-
què pedè è conclavi quo se concluserant, proferre audebant, mo-
liti fuissent? & quis tandem iste lethæus sopor ad unū omnes oc-
cupans? V. Multæ Christi apparitiones spatio 40. dierum antequam in
cælum ascenderet. Apparuit enim Mariæ Magdalene Joh. 20, 14.
mulieribus à sepulchro redeuntibus Matt. 28, 9. duobus discipulis
Emaunticis Luc. 24, v. 15. & 31. Petro 1. Cor. 15, 5. decè discipulis ab-
sente Thoma Joh. 20, 19. discipulis præsentè Thoma v. 26. Jacobo
1. Cor. 15, 5. discipulis qui piscabatur Joh. 21, 1. omnibus discipulis in
monte Matt. 28, 16. & rursus in monte olivarum Act. 1, 12. plus quã
quingentis fratribus simul 1. Cor. 16, 6. Paulo v. 8. Act. 2. C. 22, 18. &
C. 23, 11. Stephano Act. 7, 56. Johanni Apoc. 1, 13. VI. contrarii impossi-
bilitas. Impossibile enim erat Christum à morte teneri Act. 2, 24. E-
rat enim ipse filius Dei Joh. 3, 16. auctor vitæ Act. 3, 15. vita & re-
surrectio Joh. 11, 25. caro ejus vivifica Joh. 6, 33. debebat hostes
suos ac nostros morte ac resurrectione sua devincere & debellare
Os. 13, 14. 1. Cor. 15, 54. VII. Regni aternitas. Debebat in æternum re-
gnare 2. Sam. 7, 13. Ps. 45, 7. Luc. 1, 33. Dan. 7, 14. debebat tanquam
æternus sacerdos coram DEO apparere semperquè pro nobis in-
tercedere Ps. 110, 4. Rom. 8, 34.

1 1,
Cur tertio die resurrexerit?

1. *Tertio die resurgere voluit Christus 1. † propter typorum imple-*
tionem. Typi autem præcipui sunt Isaacus, qui per triduum in ocu-
lis patris velut mortuus fuit, sed tertio die vivificatur, cum ipsius
loco aries in holocaustum offertur Gen. 22, 13. Iosephus, qui in
tertium usquè annum detentus fuit in carcere, postmodum verò
eductus Ægypti constitutus est Dominus Gen. 41. Ionas, qui tri-
bus diebus ac noctibus fuit in visceribus balanz Jon. 2. Matth.
2. *12, 39. Potest † huc referri obscuratio solis quæ duravit per tres dies*
Exod. 10, 22. & per tres horas Matth. 27, 45. Conf. etiam Cap. 6.
Os. v. 2. vivificat nos per duos dies & tertio die nos eriget, ut coram
3. *ipso vivamus. 2. † propter ipsius prædictionem, Joh. 2, 19. destruite*
templum hoc & in tribus diebus erigam illud, loquebatur autem
de templo cordis sui v. 21. Matth. 16, 21. prædicit discipulis, se o-
portere multa pati à senioribus & principibus sacerdotum, & oc-
cidi & tertio die resurgere, Cap. 17, 23. & occident eum & tertio die
resurget. Conf. c. 20, 19. It. Marc. 8, 31, c. 10, 34. Luc. 9, 22. c. 18,
4. *33. Et ad has † prædictiones mulieres angeli Luc. 24, v. 6., & di-*
scipulos ipse Christus revocat v. 44. Et hoc etiam est, quod Pau-
lus dicit 1. Cor. 15, 4. Christum resurrexisse die tertia secundum
5. *scripturas. 3. † propter nostræ resurrectionis præfigurationem. Unde O-*
seas significanter Cap. 6, 2. vivificat nos (in plurali) post duos
dies, & tertio die nos eriget, ut vivamus cum ipso. Eph. 2, 5.
DEUS convivificavit nos Christo & conresuscitavit v. 6. Chri-
stus enim est qui gloriosâ sua resurrectione promeruit credenti-
bis resurrectionem ad vitam 1. Cor. 15, 20. & seq. Primus dies
est dies parasceve, in quo laboramus & cum Christo patimur ac
morimur, secundus est dies quietis in sepulchro, tertius est dies
resurrectionis ad vitam, qui designat statum vitæ æternæ, in qua
videbimus eum de facie ad faciem. Pulchrè & breviter Bernhar-
dus in serm. 1. de resurr. primus noster dies est in labore, secundus in requie,
tertius in resurrectione. Hoc enim speremus membra quod in capite
præcessit. August. in Ps. 29.

III. QUARTO

*Quare Angelus lapidem ab ostio sepulchri
revolverit?*

Non ꝑ propter ipsam resurrectionem, quæ jam diu in terræ
motu facta erat, angelus lapidem revolvit, sed ut resurrectio
jam ὄντως facta mulieribus innotesceret, ut narrationis series &
unanimitis ꝑ priorum veterum consensus ostendit. Iustinus q. 117. ad
orth. quemadmodum non mutatione corporis in spiritum Dominus super
Piorum veterum de hac
2. rum de hac
questione sen-
3. tentia.
tentiæ e monumento cui lapis impositus fuit egressus est, & ad discipulos in-
gressus janua clausa, non enim excitationis ejus gratia saxi ipsius de monte
invento facta est devolutio, sed eorum causa, qui id conspecturi erant, ut ipsis
resurrectio ostenderetur; ubi etiam insignem addit aphorismum;
τὰ ὑπερ φύσιν ἐν τῇ φύσει ἁπόλυτα καὶ τὴν θεϊὰν δύναμιν ἀδύνα-
τον καὶ τὸν λόγον φύσεως ποιήσαθαι τὴν ὁμοίωσιν; Fieri non potest,
ut eorum quæ supra naturam divinâ sunt potentia, ratione naturali astrua-
tur assertio. Theophyl. in C. 28. Matth. Resurrexerit Dominus lapide adhuc
super sepulchro posito. Postquam autem resurrexit angelus venit, ut devoluto
lapide accessum haberent mulieres ad sepulchrum. Nazianz. in Dramate
quod in scribitur Christus patiens, ἤριστος ἀνέστη τὰ φε κελεισμένῳ
Simon de Casta lib. 4. de resurr. Christi. fol. 401. Revolvit angelus lapidem, ut
fidem faciat custodibus, quod Christus veraciter resurrexit, nec corpus ejus
discipuli ejus furati sunt, qui stantibus custodibus non venissent; pavidus enim
homines adhuc erant. Sed descendit cœlica virtus ab humano absoluto timo-
re, nec sepulchri verita custodes, quæ nec furatura corpus advenerat, sed ut
resuscitati hominis removendo lapidem ostenderet veritatem. Cœlica virtus
custodit ipsa sepulchrum, donec inimicis custodibus fidem faciat. Similia &
alii tradunt, quos citat D. D. Gerhardus Harm. Evang. de resurr.
C. 1. Quippe ꝑ qui propriâ virtute dissipavit claustra inferorum,
qui corpus suum mortuum divinâ potentiâ e sepulchro erigere
potuit, Joh. 2, 19. C. 10. 18. qui per hanc ipsam resurrectionem
declaratus est DEI filius Rom. 1, 4. & omnium creaturarum Do-
minus C. 14, 9. idem etiam lapidem ab ostio sepulchri uno verbo

- se nutu removere potuisset, ita propter nos externa & vultu Angelorum *Δεξιοκονία & λειτεργία* uti voluit, ut gloriam suam ostenderet, ad quam per resurrectionem intravit, atque ut celeste resurrectionis suae testimonium haberet. His t̄ motus ex Calvinianis quidam piè scribit. *Qui sua virtute potuit corpus suum excitare in sepulchro, potuit eadem virtute sepulchrum egredi ostio occluso grandi illo saxo, ut miraculo sit excitatus & miraculo egressus, nulla opera Angeli.* Martoratus super C. 28. Matth. Martorato astipulatur Musculus in C. 28. Matth. *Supra dixi meo iudicio non ob id devolutum esse lapidem ab ostio monumenti per ministerium angeli, ut aperto monumento liceret Christo iam rediivo in lucem progredi & resurgere, absit ut tantum infirmitatis Christo demus, sed ut fieret fides mulieribus & Apostolis.* Quin t̄ & ipse Calvinus in Harm. Evang. agnoscit Christum ante resurrexisse, quam ab angelo sepulchrum aperiretur. Impudentissimè t̄ ergò Huld. Zvingli. part. 1. Resp. ad confess. Lutheri, lapidem monumenti angeli opeta devolutum scribit, *sic ut crassus praetor rubris inductus caligis, eo modo quo Christus monumento exivit, egredi potuisset.* Committit t̄ enim paralogismum *ὅτι τὸ μὴ αἴλιον ὡς αἴλιον*, Non enim angelus, ut dictum, amovit lapidem ut Dominus resurgeret, sed ut eius resurrectio spectatoribus innotesceret, quod tum ex omnibus textus circumstantiis, scio quod Jesum qui crucifixus est, quaeritis; non est hic, surrexit enim *sicut dixit*, venite & videte locum, in quo positus erat Dominus, tum quod eo opere propriae omnipotentiae laudem illustrare voluit, liquidò potest demonstrari. Et t̄ annon alia conditio est corporis Christi, non solum glorificati, sed etiam in ipsius *τὸ λόγος* subsistentiam assumpti, cui etiam penetralia supernorum patuerunt? Insultissimè t̄ etiam Calvinus lib. 4. Inst. c. 17. sect. 29. & alii, qui potius duriciem lapidis mutatam, quam gloriam hanc & *δύναμιν* penetrationis glorioso & in *ὑπόστασιν τὸ λόγος* assumpto corpori attribuere non dubitant. Cum t̄ sit contra eadem principia Physica sine causis mediis duriciem lapidis in momento liquefcere & in ipso momento durefcere posse, quam penetrationem corporum asserere. Sic t̄ nimirum homines isti, quovis caucaso duriores, mentem suam in obsequium saxi captivare possunt, in obsequium Christi non possunt, scribit in quadam disp. D. D. Rungius.

4.
Quidam ex
Calv. nobi-
scunt consen-
tiunt quoad
hanc questio-
nem.

6.
Impudentissi-
ma Zvinglij
verba.

9.
Insultissima
Calvini opi-
nio.

10.

11.

An CHRISTUS propria virtute resurrexerit ?

Photiniani † ἀσθενῶσι divina Christi naturæ hostes, quia vident resurgere propria virtute a mortuis esse opus infinitæ potentia & effectum mere divinum, quod non nisi soli vero DEO competat, infinita quippe potentia, quæ tantum unica, nihil est aliud quam infinita essentia, & cui attribuitur infinita potentia; eidem etiam verè attribuitur infinita essentia, in negativam abeunt sententiam. Nos † pro affirmativa ipsius Christi producimus assertionē Ioh. 2, 19, destruite templū & tribus diebus erigam illud, & Ioh. 10, 18, nemo tollit animam meam à me, sed ego deponam eam ἀπ' ἐμαυτοῦ à me ipso, potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursus sumēdi eam. C. 5, 20. sicut pater habet vitam in ἐαυτῷ in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso ἐν ἐαυτῷ. Adstipulatur † his illud Cap. 19, v. 25. Iobi, וְאַחֲרָיוּן עַל-עַפְרָיִקוֹן & postremus (יְהוָה) intelligit, qui ut dux vitæ & victor mortis suâ virtute in vitam rediturus esset) super pulverem stabit. Propria verò virtute resurgere à mortuis, ut demonstratum, evidentissimū divinitatis signū est, purus purus quippe homo jam exanimatus & sepultus in vitam seipsum revocare qui posset? Multi sancti quidem multa miracula fecerunt, nullus verò eorum mortuus resurrexit, propter ea etiam vocat signum hoc proprium & potentissimum ipse Christus, ad quod Phariseos & scribas remittit Matth. 12, 39. Conf. etiam † illud Rom. 1, 4. qui (Christus) declaratus fuit filius DEI cum potentia secundam spiritum sanctificationis ex eo quod resurrexit à mortuis Iesus Christus Dominus noster. In æternum autem Christus ut filius DEI declarari & manifestari non potuisset, nisi antea jam fuisset. Nequè † Christus ex resurrectione potestatem accepit dandi vitam, quemadmodum falsissimè Photiniani contendunt, Catech. Racc. Germ. p. 258. sed habuit eam apud suum patrem πατὸς τοῦ νόου priusquam mundus esset Ioh. 17, 5. & ut filius hominis statim in sua conceptione accepit, ideò etiam longè ante suam mortem mare & ventus ei obedivit, morbi etiam & mors ipsa ei subiecta fuit,

1.
2.
Affirmativa probatur.
3.
4.
5.
An Christus ex resurrectione potestatem dandi vitam acceperit.

B



fuit, tantum quod hanc suam *δυναμιν* non semper & ubique plene exeruerit, sicut post resurrectionem factum, sed illa in statu suae exinanitionis se abdicaverit Phil. 2, 7. quo pati & mori posset. Facult. Theol. Wit. in ref. Catech. Racc. art. 5. C. 8. p. 456.

6. Quare Christus per gloriam patris resuscitatus dicitur.

Quod t̄ autem Rom. 6, 4. Eph. 1, 20. Christus à mortuis excitatus per gloriam patris dicitur. Resp. t̄ virtutem istam esse tam *ἰσχωρῆς* & absolutam, quam *ὑποστατικὴν* & relatum, hæc quamlibet personam sigillatim spectat, illa vero toti Trinitati citra ullam distractionem communis est, ideòque etiam pater Christum resuscitare & *λόγῳ* proprium suum corpus excitare, & Spiritus sanctus patri Filioque cooperari ob indivisam ejusdem essentiae & potentiae unitatem rectissime creditur. Non n̄ sunt contradictoria Deus pater resuscitavit Christum & Christus semetipsum resuscitavit, cum ab inclusione unius personae ad exclusionem alterius nulla sit argumentatio. Pater igitur suscitavit filium non sine filio, sed per ipsum, non ut per instrumentum sed ut per aliam personam ejusdem essentiae & potentiae. Rev. & Excell. D.

7.

D. Praeses in disp. de fide lobi memb. 6. q. 6. th. 39. videatur etiam Rev. & Excell. D. D. Balduinus praceptor & promotor meus observandus in Epist. ad Rom. C. 4. q. 5. p. 321. Imò t̄ quia Pater & filius numero eandem potentiam habet, necessariò hinc sequitur, quod quia Pater Christum resuscitavit ex mortuis, Christus etiam semetipsum resuscitaverit per eandem potentiam, D. D. Grav. in cent. 1. illust. quest. disp. 6. q. 9. th. 3. Et hoc ipsum luculenter probatur ex Cap. 10. Joh. v. 18. nemo tollit animam meam à me, sed ego ponam eam à meipso, potestatem habeo ponendi eam & potestatem habeo rursus sumendi eam, hoc præceptum accepi à patre meo. Hic Christus utrumque dicit, & quod à seipso animam deponat & potestatem habeat, & quod à patre potestatem acceperit. Sicut enim t̄ pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso, Joh. 5, 26, in quod dictum D. August. tract. 47. in Joh. lit. G. hæc scribit; Cum autem dicitur filius à patre accipere quod substantialiter habet, quomodo dictum est; sicut pater habet vitam in semetipso? Cum filius ipse sit vita, non potestas minuitur, sed generatio ejus ostenditur, quoniam pater non quasi ei filio, qui imperfectus est natus aliquid addidit, sed ei quem perfectum genuit, omnia gignendo dedit; Ita illi dedit suam equalitatem, quem non genuit inaequalem. Haecenus Aug. Concludimus t̄

9.

ergo

10.

ergo cum incomparabili illo Theologo D. D. Chemnitio, ex operibus illis indivisis demonstrari filium esse ὁμοούσιον Patri, quia & pater suscitatur & filius suscitatur. Sicut pater tradidit filium Rom. 8, 32. ita Filius se ipsum tradidit. Gal. 2, 20. part. 1. L. C. p. m. 67. Quæcūque enim pater facit & Filius similiter facit Joh. 5, 19. & omnia quæ pater habet & filii sunt Joh. 16, 15. non quidem eo modo, quo omnia quæ maritus habet dicuntur esse uxoris, ut Photiniani somniant, sed propter summam illam essentiali unitatem, qua pater & filius unum sunt Joh. 10, 30. ut qui videt ipsum videat etiam patrem O. 14, 9. quia ipse in patre & pater in ipso v. 10.

V.

An etiam virtute communicata humana nature?

Christum † propria virtute resurrexisse cum jam præcedenti quæstione demonstravimus, quæstio oritur inter nos & Calvinianos de ἀνεργείᾳ humanæ naturæ in sui ipsius resuscitatione. Nos † Christum secundam utramque naturam, secundam divinam communicata sibi à patre virtute per æternam generationem, secundum humanam per personalem ἁ λόγῳ unionem resurrexisse docemus. Calviniani † verò ne majestatem aliquam carni Christi propter unionem personalem communicatam asseverare cogantur, Christum nequaquam secundum humanam naturam virtute communicata resurrexisse contendunt. Sed † contrariatur hoc verbis ipsius Christi, quæ resuscitationem totius personæ opus esse asserunt Joh. 2, 19. O. 10, 17. 2. † infringit unionem hypostaticam & latissimas ad Nestorii castra aperit fenestras, cum unio illa ἀδιαιρέτως minimè possit subsistere, si vel ad momentum realis κοινώσεως absentia fingatur. Sicut † igitur caro Christi alios ex suscitare potuit mortuos; Ita quoque ad sui ipsius resuscitationem suam ἑπιβάλλον μέρῳ addidit, D. D. Bald. in Ep. ad Rom. O. 4, 9, 5. p. 321.

V I.

An Christus januis clausis ad discipulos intraverit?

Si † solus homo esset, qui hoc fecit, mirum esset, sed si cogitaveris DEVM & hominem esse, mirari desines. Omnia enim possibilia sunt Deo, qui de corpore

B 2

suo



Rationes ex
scriptura,
Christum ja-
nuis clausis ad
discipulos in-
trasse.

- suo facit quicquid vult, & tamen manet corpus, piè alicubi scribit Aug.
2. Nos † igitur præeunte scriptura & unanimi plorum veterum consensu Christum τῶν θυρῶν κλεισμένων januis clausis corpus
 3. solidum glorioso suo corpore penetrasse defendimus. Rationes ex scriptura producimus has I. Evangelistam non solum I. temporis notationem, ut Zwingliani putant, sed etiam singularis & miraculosi ingressus significationem per isthæc verba describere voluisse jubare meridiano clarius est, adeò ut etiam hoc clausi quorundam Calvinianorum oculi videre cœperint, ex quibus est ipse Calvinus, qui in C. 20. Ioh. sic scribit: Quod Christus januis clausis venit ad discipulos, divina in illo potentia illustre specimen est; Nam quod putant quidam reseratas illi fuisse fores per aliquem & humano more ingressum, prorsus ab Evangelistæ mente discrepat. Sic igitur habendum est, Christum non sine miraculo ingressum esse, ut documentum ederet suæ divinitatis, quò suos discipulos magis attentos redderet. Et lib. 4. Inst. C. 17. § 29. nec januis clausis intrare tantundem valet ac penetrare per solidam materiam, sed sibi aditum patefacere divinâ virtute, ut repente steterit inter suos discipulos, plane admirabili modo, cum obserata essent fores. Vidit hoc etiam Marloratus in C. 24. Luc. & C. 20. Ioh. Et † quid quæso fuisset singulare si januis clausis, quod & crassus prætor rubris indutus caligis, sicut Beza de resurr. Christi ex sepulchro grunnit, præstare posset, ingressus fuisset. II. Clausas † fuisse fores Evangelista Iohannes C. 20, 19. luculenter asserit; ἄνοιξις ἐν ὀψίας &c. καὶ θυρῶν κλεισμένων, quorum sensus est, cum Christus appareret fores clausæ erant. Nullam † verò vel minimam suspicionem præbet, quod aliquis Apostolorum fores ipsi aperuerit, nec ultrò patuerunt; hoc enim non est venire clausis foribus. Credamus igitur magis vel uni Evangelistarum testi veraci, quam toti Zwinglianorum turbæ fallaci. III. Lucas † C. 24, 36. Christum non pedentim de loco in locum progressum & in medium ipsorum cœtum se insinuasse, sed in momento dum hæc loquerentur & neminem viderent ἐν μέσῳ αὐτῶν steterisse testatur. IV. † Iohannes C. 20, 30. Christum & alia signa in conspectu suorum discipulorum fecisse subjungit, ingressum igitur hunc planè miraculosum & singularem fuisse innuit. V. † Non potuisset, cum & verbum & voces ipsius audirent, imò coram ipsum viderent, spectri suspicio de
 - 4.
 - 5.
 - 6.
 - 7.
 - 8.
 - 9.

de qua Luc. 24, 37. in discipulorum animis oriri, nequè adeò con-
sternati fuissent, si consueto more venisset, nequè januis clausis
intrasset. Cum autem *πνευματικῶς* ingressus est momentaneus
sine ulla clausarum forium apertione, Christi quoquè ingressum
talem, fuisse significare voluit. Et hoc etiam inde elucet, quod
licet antea Petro & postea Cleophae, apparuerit, nihil tale cogi-
taverint sed dixerint; Dominus verè surrexit & Simoni apparuit.
VI. † Penetratio per clausas fores Christo non fuit impossibilis, tum
ex virtute Deitatis secundum quam potens est facere omnia su-
perabundanter, quàm nos intelligimus Eph. 3, 20. tum propter
arctissimam corporis cum *λόγῳ* unionem, in quo tota plenitudo
Deitatis habitat corporaliter, & quod totam virtutem & univer-
sam operationem divinitatis verbi, ut Cyrillus loquitur, suscepit
ac possidet; tum etiam ex dote subtilitatis corpori ejus collato,
quod post resurrectionem est *πνευματικόν* & glorificatum 1. Cor.
15, 45. Phil. 3, 21. VII. † Similia Christus suo corpore plura præ-
stitit cum miraculoso hoc ingressu, natus enim est inviolata ma-
tris virginitate, inambulavit suo corpore aquis, in resurrectione
lapidem ut q. 3. probatum, pertransiit nondum devolutum, in
ascensione omnes penetravit caelos, qui sunt *σερέωμα* quovis fer-
ro solidius. Ex regulis ergo Physicis non sunt æstimanda multò
minus oppugnanda divina miracula, cum etiam ipse, Arist. post.
Analyt. C. 9. & lib. 1. Magn. Moral. C. 1. veteret *μεταβαίνειν εἰς
ἄλλο ἔπος*. Rectè igitur & piè Iustinus q. 117. Fieri non potest, ut eo-
rum quæ supra naturam divina sunt potentia, ratione naturali astruatur as-
sertio. Hilarius l. de Trin. non subjacet natura legibus, à quo legem o-
mnis natura sortitur. Cyrill. l. 1. ad Reg. Vbi DEVS vult ibi vertitur naturæ
ordo. & Hier. in Ep. ad Vital. nihil valet natura contra naturæ Dominum.
VIII. † Unanimis piorum veterum consensus, qui Christum corpore
suo per clausas fores miraculosè ingressum esse, affirmant. August.
tract. 121. in Iohannem. Moli corporis ubi divinitas erat, ostia clausa non ob-
stiterunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit; quo nascente virginitas
matris inviolata permansit. Idem in sermone quodam paschali: si corpus
erat, si hoc surrexit de sepulchro, quod pependit in ligno, quomodo per ostia
clausa intrare potuit? Et Resp. si comprehendis modum non est miraculum,
ubi desinit ratio, ibi incipit fidei edificatio. Et Eph. 3. Virtus divina per in-

10.

11.

12.

13.

Violata matris viscera virgine & membra infantis eduxit, quæ postea per clau-
 sas januas juvenis introduxit; hic si ratio quaeritur non erit mirabile, si exem-
 plum ponitur non erit singulare. Demus DEVM aliquid posse, quod nos fateamur
 investigare non posse. Nazianzenus in Dramate $\chi\rho\iota\sigma\tau\acute{o}\varsigma\ \acute{o}\ \pi\rho\acute{\alpha}\gamma\omega\nu$, vab,
 vab, sile, sile, Ecce stat Dominus intus januis clausis? proculdubio sicut surre-
 xit clauso sepulchro. Hieron. in Epitaphio Paula, quomodo clausis ingressus
 est januis, contra naturam solidorum corporum? Resp. & contra naturam
 graviorum corporum ante resurrectionem super mare ambulavit. Nec ideo Pe-
 tri corpus fuit spirituale, quia super aquas pendulo incessit gradu, cum poten-
 tia magis & virtus ostendatur DEI, quando fit aliquid contra naturam, ut quæ
 scias non natura mutationem sed DEI omnipotentiam demonstrari Petrus coe-
 pit mergi. Amphilocheus apud Theodoretum. Christus corpore suo ingrediens
 januis clausis, ostendit illud non esse $\tau\omicron\iota\grave{\iota}\sigma\tau\omicron$, quia vero præbet illud palpandum,
 ostendit esse $\tau\epsilon\lambda\epsilon\sigma$. Rubertus Tuitiensis l. 14. in Ioh. C. 20. p. 896. Nobis cre-
 dentibus illud pro argumento sufficit, quia de nihilo DEVS cuncta creavit, &
 cuncta quasi nihilum & inane reputata sunt ei, ad agendum quicquid volue-
 rit. Mirumquæ hoc potius esset, si non ita posset, cum nemo ferè tam imperi-
 tus artifex sit, ut quod composuit, penetrare ipse vel aperire non posset? At ille
 cum voluit, aperta est terra & deglutivit Dathan &c. IX. † Ex absurdis si-
 biquæ contrarijs Zwinglianorum glossis & subterfugijs. Ut enim in
 ingressu illo glorioso corpori Christi nihil præter naturam acci-
 disse obtineant, quidam ut Calvinus Christum suâ potentiâ fores a-
 peruisse, adeoque sibi aditum patefecisse lib. 4. inst. C. 17. sect. 29.
 Quidam ut Oecolampadius per fenestras fortè aut per camini respira-
 culum intrasse; alij ut Beza fores præter naturam insensibiliter in
 momento apertas & clausas fuisse, aut in momento in nihilum re-
 ductas & rursus restitutas, alij esse tantum notationem temporis
 vespertini, quando januæ solent claudi, alij fores per angelum aut
 Apostolum apertas esse, alij Christum passasse, alij deniquè per fo-
 res venisse, prius instar ceræ illas emolliendo, & miraculosâ qua-
 dam rarificatione extendendo fingunt. Quinam jam credendum?
 Ita nimirum ratio varia quaerit subterfugia, variaquæ glossema-
 ta, quando claræ textus literæ inhaerere recusat. X. † Quia illi qui
 negant Christum clausis foribus intrasse, nullam cogentem ac
 solidam, ut ex jam dictis patet, possunt sententiæ suæ afferre ra-
 tionem. Nam † quod dicunt, Sadeel com. 3. $\theta\upsilon\rho\omega\nu\ \kappa\epsilon\kappa\lambda\epsilon\iota\sigma\tau\omicron\ \mu\acute{\epsilon}\nu\omega\nu$
 non esse præsentis sed præteriti temporis, & significare non tunc
 sed

sed ante claudas fouille fores. Resp. & nullam esse consecutionem à possi- 17.
 tione actus præteriti ad negationem actus presentis. Clausæ quippe fue- Cur clausæ
 runt januz propter judæorum metum, ne Magistri sui exemplo fuerint januz.
 in crucem agerentur discipuli, undè certè non vespertino tantum
 tempore, sed etiam ipso meridie, imò totâ die fores seris & repa-
 gulis munitas fuisse veritari consentaneum est, quod etiam in al-
 tera apparitione v. 27. manifestiùs innuitur. Quod & verò januas 18.
 celsisse & insensibiliter in momento apertas & clausas fuisse con-
 tendunt. Mirandum & certè est, quod malint isti homines poten- 19.
 tiam DEI in lignis, in saxis, aliquid præter naturam efficere posse, Calvin. ma-
 quam in illo corpore, quod non solum spirituale & glorificatum, lunt potentiã
 quo respectu supra naturam & proprietatem corporis nondum DEI in lignis
 glorificati terreni ac mortalis est evecta, sed etiam quod cum λó- & saxis præter
 γω arctissimè personaliter nimirum unicum est, & in quo tota divinitatis naturam alie
 plenitudo habitat. Cum & enim nostra corpora post resurrectionem quid efficere
 erunt πνυματικὰ docente Apostolo 1. Cor. 15, 45. id multo ma- posse, quam in
 gis de Christi corpore, cui (servatis tamen graduum differentijs.) Cor. corpore Chris-
 pora nostra erunt σωματικὰ Phil. 3, 21. affirmandum est. Corpus sti.
 & autem spirituale dicitur, non quia carne & ossibus destitutum, 20.
 ut Photiniani sibi persuadent, in spiritum planè mutetur, sed quod 21.
 manente corporis γοία, proprietatibus Spiritus, ut invisibile esse,
 non moveri de loco in locum successivè juxta rationem hujus se-
 culi, non indigere cibo & potu, pertransire corpora solida nullo
 impedimento, &c. exornatur.

V I I.

Quare CHRISTUS post resurrectionem ederit & biberit?

Christi & convictum magnum esse argumentum resurrectionis 1.
 testatur Petrus Act. 10. 40. DEVS suscitavit Christum à mortuis, & dedit
 eum manifestum fieri nobis prædestinatis à DEO testibus, qui manducavimus
 & bibimus (nota non solum Christum post resurrectionem mandu-
 casse sed & bibisse) cum illo, postquam resurrexit à mortuis. A veteribus 2.
 & autem non ex necessitate sed ex libera οἰκονομία factum esse re- Veterum sen-
 sponderetur. August. Sicut aliter absorbet aquam terra sitiens, aliter tentia,
 solis radius candens; illa indigentia, hac potentiã, idem statuendum
 est

30
Approbamus
veterum re-
sponses,

est de Domini manducatione. Augustino adripulatur Beza, Manducavit non
necessitate sed propria voluntate, aliter enim absorbet terra aquam, aliter sol,
sol potestate, terra necessitate, quia arida est. Et Theophyl. in c. 24. Lucae; man-
ducavit Dominus non ex natura necessitate, sed ex libera οικονομία per quā-
dam συνκατάστασιν ad demonstrandā resurrectionis veritatē. Verissimè †
hæc dicuntur, cum enim corpora nostra post resurrectionem
glorificata nullius cibi vel potus indiga sint futura, multò minus
Christi corpori in ipsissimam ἡ λόγος ὑπόστασιν assumpto, talis
quædam necessitas ac indigentia tribuenda est. Sciendum igitur
quod quædam à Salvatore facta sunt οικονομικῶς quæ resurre-
ctionis veritatem comprobarent, veritas enim & proprietas car-
nis manducando monstratur, cum manducare maximum sit vitæ
argumentum, ut ex Luc. 8, 55. apparet.

I I X.

An corpus CHRISTI gloriosum necessariò actu videatur?

2.
Corpus Christi
gloriosum &
visibile, diver-
so tamen re-
spectu,

3.
4.
5.
An ex Luc. 24,
39, corpus

Rectissimè † cum Damasceno lib. 4. C. 1. ἡ νόμῳ φύσιως, ἀλλ'
οικονομίας non ex natura necessitate sed ex libera voluntate Christum
corpus suum ἀφαντον ἐμφανες reddidisse iis, quibus voluit &
quorum oculos singulari operatione, ut innuitur Matth. 27, 53.
aperire dignatus est, respondemus. Distinguendum † quippe est
inter invisibilitatem ἀπλῶς & ratione δυναμείως, & inter invisibilita-
tem κατὰ τὴν ac ratione ἐνεργείας & nostri in hac vita consideratam.
Priori † modo corpora glorificatorum non sunt omnino invisibi-
lia etiam corporibus nondum glorificatis, si Deus voluerit, quem-
admodum tum ex variis apparitionibus ipsius Christi, tum ex ap-
paritione illorum, qui cum Christo resurrexerunt Matth. 27, 53.
tum etiam ex historia de Elisæo & ejus famulo 2. Reg. 6. colligi-
tur. Posteriori † autem modo, cum inter τὸ πνεῦμα & τὸ χοῖκόν
nulla sit proportio, & corpora gloriosa sint πνευματικά, nos verò
χοῖκοι, sunt invisibilia. Quod † autem Calviniani ex O. 24.
Luc. v. 39, conrectate & videte me, quia Spiritus carnem & ossa
non

non habet, corpus Christi perpetuò visibile & palpabile esse infe- Christi perpe-
runt. Respondemus † aliud esse negare visibilitatem tum potentia- tuò visibile &
lem tum actualem, quod à nobis nunquam factum, aliud verò palpabile esse
privationem visibilitatis tantum actualis, quod nos scripturâ e- probari possit ?
docti, facimus. Et † quæ quæso consequentia; Christus ad com- 6.
probendam discipulis resurrectionem, & quod corpus suum non 7.
in spiritum aut phantasma aut corpus novum sit transmutatum,
ut Surenckfeldiani, Anabaptistæ Photiniani & alij fanatici somniât, præ-
buit se videndum & palpandum. Ergo corpus ejus non potest non
esse visibile & contractabile. Pari † enim modo argumentari 8.
possem, Christus ad asserendam suæ resurrectionis veritatem edit
& bibit coram discipulis. Ergo corpus glorificatum necessariò in-
digeret cibo ac potu. Quod † deinde ex verbis Luca 24, 31. ἀπ' αὐτῶν 9.
Christum respectu discipulorum tantummodo invisibilem fa- An ex Luca, 24,
ctum esse, vel quod subito ab iis abierit & discesserit, vel quod a- 31. Christum
lia corpora interjecta fuerint, concludere satagunt. Quivis † vi- respectu disci-
det esse ignorantem Elenchi, & manifestè adversari toti histo- pulorum tan-
riæ σωπερία, quæ non visibili secessu locali & successivè vel cor- tum invisibile
pore aliquo interjecto Christum ἀφαντον fuisse evincit, dum di- factum &c.
sparitionem illam velut speciale quoddam miraculum & actum probari possit ?
planè singularem refert. Ipsorum † vero oculos retentos fuisse 10.
est contra scopum ipsius Christi, qui suam præsentiam maximo- 11.
pere demonstratam volebat. Quod † deniquè inter τὸ ἀόρατον εἶναι 12.
& τὸ ἀφαντον γίνεσθαι distinguere conantur, ac si illud cum veri- An distinctio
tate corporis pugnet, hoc verò variis de causis magis aliorum re- inter τὸ ἀό-
spectu quam ipsius corporis conditione eveniat; Sciendum † est. 13.
tantum esse figmentum è liripipio Pezely enatum, cum absquè ul- 14.
lo discrimine à Lexicographis hæ voces explicentur & habeantur.
Si † autem seriò & ex animo hac distinctione delectentur
Calviniani, affirmant nobiscum Christum glorioso suo & in ὄψι-
σάμηνον & λόγῳ assumpto corpore præsentem, ἀφαντον esse in sa-
cro sancta Domini σωάξει.

I X.

An corpora nostra eadem numero sint re-
surrectura?

C

Cum



Cum t̄ ratione non possit investigari, quomodo corpus in pulverem & cinerem redactum idem numero redire queat, quidam sensu potius mystico, de resurrectione prima & spirituali, resurrectionem corporum nostrorum interpretati sunt, sicuti de Phileto & Himenao Apostolus Paulus testatur 2. Tim. 1, 18. quidam ut Marcion animas tantum salvari, corpora non resurgere docuerunt. De Origine & Iohanne Hierosolymitano refert Hieronymus, quod concesserint quidem homines resurrecturos in corporibus, sed aëreis vel aëre subtilioribus, non autem constantibus ex carne & membris. Quid? quod & Photiniani Christum in coelis jam non habere carnem & sanguinem Osiand. in Inst. C. 42. corpora, quæ in hoc mundo circumferimus non de mortuis resurrectura Smalzius

2.

in exam. centum errorum, somniant. Sed t̄ cum par sit potestas DEI ad instituendos & restituendos homines, secundum illud Athenagoræ in orat. ad Gent. Et si, ut Iustinus de resurrectione mortuorum disputans verè & piè loquitur, πιστεύουμεν τῇ φύσει τῆς φύσεως, τῇ τέχνῃ τῆς τέχνης, καὶ τῷ θεῷ τῆς θεότητος, τῇ θεότητι δὲ ἀνεγένετα ἑδὲν ἔστιν ἀπεσθῆς; Credimus natura naturalia, arti artificilia & DEO divina, divina verò potestati nihil est inobediens, sed omnia ei obediunt: immota etiam fide

3.

Argumenta ex script. corporum nostrorum resurrectionem eandem numero futuram demonstrantia.

firmis scripturæ dictis corpora nostra eadem numero resurrectura demonstrantibus credamus. Producimus t̄ autem 1. classicum illud 1. Cor. 15, 53. ubi quasi digito indice Apostolus corporum resurrectionem numero eandem fore monstrat δευτικῆν illâ particulâ τῆς, δεῖ τὸ φθαρτὸν τῆς ἐνδύσασθαι ἀθανασίαν; Oportet hoc corruptibile induere incorruptionem, & hoc mortale induere immortalitatem. Quod t̄ igitur mortuum & corruptum id resurget. Ratio consequentiæ est hæc, si enim aliud resurgeret quàm mortuum & corruptum, non esset resurrectio sed creatio. Atqui corpus & sanguinem habens est mortuum & corruptum. E. corpus & sanguinem habens resurget. Et per consequens idem subjectum idemquè corpus quoad ἑστίαν Apostolus intelligit, quod secundum ποιότητάς sit alterandum. II. Ex Job. 19, 26. t̄ אַחַר עוֹרִי וְאֶחָד מֵאֲרָצֵי חַיִּים וְאֶחָד מֵאֲרָצֵי חַיִּים וְאֶחָד מֵאֲרָצֵי חַיִּים וְאֶחָד מֵאֲרָצֵי חַיִּים

4.

Et postquam pellem meam contriverint hanc, ut

5.

vertit Pagninus, & de carne mea אֶחָד מֵאֲרָצֵי חַיִּים, videbo



bo DEUM. Ex quibus + verbis cum Rev. & Excell. D. D. Preside
in disp. de fide Jobi Membr. 6. q. 7. sic argumentor : Quicumque
sua pelle circumdabitur, & in sua carne videbit DEUM, is numero idem re-
surret, carnemque & sanguinem habebit. 6.

Sed Iobus sua pelle circumdabitur & in sua carne videbit DEUM.

Ergo Iobus idem numero resurret, carnemque & sanguinem habebit,
id quod per consequens de alijs etiam sanctis affirmandum, cum de similibus
idem sit iudicium.

Ex + visione Ezech. C. 17. v. 1. usque ad 11. ubi Propheta ipsa 7.
priora & arida mortuorum ossa spiritum ingredi ipsaque & revi-
viscere & stare עַל-רַגְלֵיהֶם super pedes suos v. 10. DEUS
enim potente suo verbo vivificat mortuos, & quæ non sunt vo-
cat tanquam sint Rom. 4. 17. Astipulatur + & his illud Psal. 34, 8.
21. Custodit (Jehova) omnia ossa ejus אֶת מִתְּנֵי מֵתִים unum ex
eis, non frangitur. Quis autem alius esset custodiendi finis,
quam ut suo tempore restituantur & resuscitentur.

IV. + Ex Philip. 3, 21. ubi Apostolus nostra corpora Christi 9.
corpori conformia fore asserit, & resurrectio Christi est testimo-
nium resurrectionis nostræ. Christus verò quod semel assum-
sit nunquam deposuit, nunquam etiam deponet. Ideoque etiam
eadem carne & eodem corpore secundum quod ceciderat, resurre-
xit Joh. 2, v. 19. & 21.

Nunc + quemadmodum rectus ordo exigat profunda Chri- 10.
stianæ fidei ut credamus, priusquam ea præsumamus ratione di-
scutere; ita postquam in fide confirmati sumus intelligamus
quod credimus, producenda etiam essent cætera argumenta, à
justitiâ divinâ, à verbo resurgendi; à piorum conditione, à symbolis Ecclesiæ
resurrectionem corporum nostrorum eandem numero futuram,
probantia, sed cum hæc ab alijs, in primis verò à Rev. & Excell.
D. D. Preside in disp. de fide Jobi Membr. 6. q. 7. It. part. 1. Phi-
los. Sobr. sect. 3. C. 2. quæst. 1. factum, jam abrumpo.

X.

Quinam sint resurrectionis CHRISTI
fructus?

C 2

Quæstio

1. **Quaestio** † hæc de *multiplici fructu*, licet ad *Ecclesiasticam* potius quam ad *Academicam* spectet cathedram; attamen cum absque salutari usu hæctenus prolata nobis nihil profinc, paucissimis eam prælibare & quasi digito indice monstrare libet. *Quadruplex* † autem in primis ex resurrectione Christi splendet fructus.
- 2.
3. I. *Vita* † tam *spiritualis* quam *corporalis* Rom. 6 C. 8. v. 11. 1. Cor. 15, 13. & seqq. Ephes. 2, v. 5. & 6. O. 5, 14. Quemadmodum enim nobis natus, nobis passus, nobis crucifixus, nobis mortuus, sic quoque nobis vivit. Absurdum enim foret, caput vivum habere membra mortua & in morte perpetuò manentia, hoc ergo debet sperare corpus quod in capite præcessit. Ideò etiam Christus inquit Joh. 14, 19. Ego vivo & vos vivetis. *Vivamus* † itaque quoad omnia membra, qui enim in peccatis vivunt, *spiritualiter* mortui sunt, sicut de lascivis viduis scribit Paulus 1. Timoth. 5. 6. *vivat* cor fideliter credendo, *vivat* caput verbum DEI diligenter perscrutando, *vivat* lingua ejus laudes decantando, *vivant* manus liberaliter dando, *vivant* oculi opera DEI perlustrando, *vivant* denique aures verbum DEI attentè auscultando.
- 4.
5. II. *Victoria* † Os. 13, 14. è potestate sepulchri redimam eos, à morte sepulchri vindicabo eos, &c. Quid igitur nos terret, *peccatum*? istud spoliavit Christus Mich. 7, 19. Rom. 6, 6. *maledictio*? hanc Christus sustulit Galat. 3, 13. *mors*? eam Christus vicit Os. 13, 15. *Diabolus*? hunc spoliavit Christus Luc. 11, 22. *infernus*? hunc evertit Christus Ose. 13, 14. *damnatio*? illam removit Christus Rom. 8, 1.
6. III. *Iustitia* † Resurrectio enim est justitiæ nobis à Christo adquisitæ complementum, undè etiam propter *justificationem nostram* excitatus dicitur Rom. 4, 25. Hinc plena nobis in Christo est justitia, quia plena parata est victoria.
7. IV. *Gloria* † Quemadmodum enim in Christo, *omnes* resurreximus, *omnes* reviximus, sic etiam *omnes* ad cœlestia migravimus. Estque in illo Christo homine, uniuscujusque nostrum caro, sanguis & portio. *Vbi* ergo portio mea regnat, regnare me credo, *ubi* dominatur sanguis meus, me sentio dominari, *ubi* glorificatur caro mea, me gloriosum cognosco. *Ibi* † Christus transfigurabitur
- 8.

figurabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat corpori eius
glorioso Phil. 3, 21. Ibi anima sapientiã & justitiã, corpus verò
agilitate, impassibilitate, subtilitate & immortalitate induc-
tur. Ibi DEUM videbimus de facie ad faciem, 1. Cor. 13, 12. &
sicuti est 1. Joh. 3, 2. Ibi cognoscemus Patris potentiam, Filii sapien-
tiam, Spiritus sancti clementiam, ipsiusquè summæ Trinitatis u-
nam & indivisam essentiam; Ibi cum beatis vacabimus & Chri-
stum videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabi-
mus, inquè ipso tanquam in summo bono acquiescemus. In quo
etiam jam acquiescimus, *Faxit t̄ mortis victor gloriosissimus, ut hie
anima nostra resurgat per gratiam, ut olim corpora nostra resurgant ad eter-
nam gloriam.*

CHRISTO RESURGENTI SACRUM ad Præstantiss. & Doctiss.

Dn. Respondentem de hac sacra materie disputantem.

Miscetur sacris humano cocta cerebro
Humanã gestit traditione Papa.
At tu rimaris verum per mystica scripta
Non id ibi ut nigra nocte latere solet.
Perge, velut pergis, sacro indulgere labori,
Sicquè viri clari nomina digna feres.
Hostes tela ferunt curvo stridentia ab arcu
Excipe, & hæc verbo discute tela DEI.
Astat MEISNERUS, noster perfortis Achilles
Arbiter ipse tuus, tutor & ipse tuus.
Certa pro vero divinis miles in armis
Certa certantes ritè corona manet.

*In gratiam literatiss. Dn. Respond. commensalis sui dilectiss.
Scrib.*

Ludolph à Berder.

C 3

Anguis



A Nguis in occiduâ, (si linguax fama probata est)
Tempestate hyemis, sub prima negocia vèris
Rugas deponit senii, & tegmenta prioris
Facturæ, cum pelle novâ nova robora sumens;
In virus vireisq;, novata, venena lacessens;
Dumq; putabatur carnis decrescere mole,
Veneni crescit; oriensq; fit anguis in angui
Occiduô, lenium coriô juvenante reformaus.

Non speranda tibi talis fors **ANGVIS** abyssi est:
Postquam **ORIENS** nobis ex **ALT**ò flamina reddit
Veris amoriflui, magna & **Connubia Cæli**
Suavè amplectentis terram, atq; in vincla petentis
Vincula, quæ nullum sunt disturbanda per ævum.

Nam **TE** prævortit de gente tribuq; **Jhudæus**
Ecce **LEO** Noster: non te labor iste fatiget.
Esa. 27, v. 1. Non opus, exsuvias veteres deponere: demtos
Rectosq; obliquosq; simul de Corpore rextus
Corporis, ut nil sis, nisi ludificabile mormo
Nostra manus oculata videt: requiescit in aure
Læta tranquillam COR. Hoc bona nuncia signant;
Herodot. Polym. pag. 207. Hoc **EVANGELIUM! SVRREXIT CHRISTVS & omnem**
Surgendo reparat rem, quam amisisse cadendo
Primorum nostri proceres sunt Edene visi.

Cant. 2, v. 11. I nunc & vires hyemali frigore cassas
Instaura: Nunc imber abit nunc bruma recessit:
Tempus ut instaures: quando genus omne recentat.
Se tibi cognatum, nativaq; robora adauget.

Sed pellem amisti: **NUNC** Carnem pellis & omnia
Ossa simul: vacuô stimulus tantum ore trisulcus

Mansit,

Mansit, quò terrere pores terrestria, turbis
Et fecisse agrè mortis mortalibus agris.
Mundus IS est malitate jacens, *caro* priva proprium
Scabritièi interius sentiscens sæpè titilla:
Hinc **FUROR** accensus **DOMINI** Calfecit *avernum*.

Heus *orcine* *Latro* ad crucis ampla cacumina perge:
Hic *Stimulum* exacue, & dentes in morte minaces.
Filius ecce **HOMINIS** quem nuper perpete Sannâ
In cruce pendentem ludebas, Sorte reversâ
In melius, fecit, fieri haut quæ posse putabas.

Huc age; repperies *cheirographa debita*: sumtus
Quos gens mortalis fecit restare, Solutos.
Nec quidquam ultra, nos de quo accusabis, habebis.
Tange tuum nasum, pudibundum & scomma resorbe:
Dic age ubi tandem vanorum cruda logorum
Ulcera condideris! Age dic, ubi manserit Hoc: Si
FILIUS ipse **DEI ES**: **DEUS** ipse in imagine vivâ
Eja age *SOLVS* crucis tua roborâ, robore ut unâ
Nos durò absolvas, crucis & cruciamine reipsum.
Dic ubi Pilati est tua nunc *custodia*? **TESTES**
Audite, *excisum templum est*: verum endoperante
Majestate iterum *Surgit*. **SURREXIT** & imis
Stagna refusa vadis **CHRISTUS** turbavit abyssi

Luc. 23. v. 39.

Matth. 27. v.

66.

Iohan. 2.

Daniel. 9.

NIL TIBI MORS mecum. Tua nil violentia. *Censura*
Frigida membra dabunt in molli pulvere terræ
Natura: At melior melioris gaudia vitæ
Pars intrat, postquam manali extinctus inaudax
Sanguine nunc guttæ est *divinipotenti* *avernus*.

Non est quod posthac **COR** *Subsultando* faceffas
Artem ludicram: Ne sis tibi quæstio. *Plenum*
Rimarum fecit pectus tibi cura? *Vicissim*
SPONGIA adest quæ jam obsipat undiq; & undiq; pectus
Rimas & curas. **DONORUM** & **LAUDIS** abundè est.

Hæc

Hæc sunt lætitiæ nunc publica nomina. In istis
Templa sonant votis, devotaq; Corcula templis.
Sic TuA CuRa pia est privata mi EGO - ALTER amice
Quando RESVRGENTI tua DISSERTATIO CHRISTO
PRIMA SACRA est. Huic omne Sacrum, nos quidquid agamus
Quidquid dicamus: Sed & hoc quid mente velucri
Verjamus. meritò DOMINO huic nostro esto Sacratum.

Ioh. 14. v. 19.

Ipsè DEUS noster pro nobis VITA triumphat
MORTEM. Nos agni tenerâ QUASI ludimus herbâ
Heic rursus GENITI MODO: ut ignaruris, ab omni

Esa. II, v. 8.

Parte, mali, quod circumstat, PVER ore draconi
Ludos in miti faciens. MISERatur amicum

Ioh. 10, v. 12.

COR CHRISTI. Bonus is PASTOR vigil excubat arvis.
JUBILAT hinc CRVCIS in mediâ CRVCIANVS abyssô,

Osea 2, v. 15.

Ostia ubi Sperum multis clausa esse videntur:
Jubilat & CANTAT, JOCUNDA VOCE resultans.

Ioh. 16, v. 24.

Vox hæc grata DEO in CHRISTO EXAUDITA triumphat.

Hæc pia cura TUA est hoc tempore, pondera causæ
Evolvis, NOBIS quæ tanta PIA OCIA fecit.

Nempe RESVRGENS est CHRISTVS. Tu Cetera dicis.
Reliqua subjiciet, cui Sacra hæc Scep sis. IS istos
Condoce jam faciat per prælia fortiter armos.

Hujus enim auxilijs opus est in pulvere tali.

Cetera sunt pulvis. ET NOS QUOq; PULVERIS UMBRA.

Amico meo integerrimo

S.

Andr. Großhenning.


FINIS.

Perlegi d. 22 April.
1699

05 A 760

ULB Halle
003 766 764

3




il.

1072

61







DISSERTATIO, CHRISTO
RESURGENTI SACRA.
Hoc est;
DECAS QUÆSTIONUM
THEOLOGICARUM
De
GLORIOSA
DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI RESUR-
RECTIONE.

Quam *Per*
DEO Trin-uno docente ac ducente ad pla-
cidam *ουχνησιω*,

In Electorali ad Albim Academia

PRÆSIDE

Reverendo, Clarissimo & Excellentissimo viro

DN., BALTHASARE MEISNERO

S. S. Theolog. D. & P. P. Præceptore & pro-
motore suo æternùm colendo.

Proponit

M. BARTHOLOMÆUS DAVID
Sanderslebenſis Anhaltinus.

Ad diem April. horis pomeridianis in auditorio Veteri.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS GORMANNI.

Anno 1719.